DE GASTRITIDE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM IN CEL. ARCHIGYMNASIO...

Giuseppe Cristini

Digitized by Google

§ 83.
A 26

DE GASTRITIDE
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN CEL. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD SUMMOS HONORES

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

OBTINENDOS

PUBLICE DEFENDEBAT

JOSEPHUS CRISTINI

BELLUNENSIS

PATAVII

EX OFFICINA VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXIX

Digitized by Google

884.

PARENTI OPTIMO
FILIUS AMANTISSIMUS.

Digitized by Google

885

Quamvis minime ignorem, ingenium et vires, disciplinarum medicarum ratione habita, mihi deficere, clarissimi Professores, Auditores quotquot estis titulo ornatissimi, pro gravi et perdifficili argumento Gastritidis pertractando, nihilo tamen secius si mihi cum ingenii, tum medicae eruditionis necessaria desint praesidia, dicam cum Poeta:

Quod si deficiunt vires, audacia certe
Laus erit: in magnis et voluisse sat est.

Ubi ventriculi textus organicus, nervorum qualitas, quibus ipse instruitur, et relationes satis arctae, quibus gaudet viscus hoc, non secus ac actio, et ejusdem functiones considerentur, ita ut non immerito a clarissimo Physiologo Dumas caeterorum quodammodo organorum tyrannus, ut ita dicam, appellatus fuerit, mirum nequaquam est, prae caeteris morbis facili negotio inflammationi obnoxium esse, quae gastritidis nomine insignitur.

Digitized by Google

886.

Causae peculiaris phlogisticae indolis videntur praesertim statui a qualitate, ex textu tunicarum, quibus ventriculus conflatus est; et quamvis quaedam phlogoses plus minus solitariae, latentes, obscurae, aut evidentes unius, aut alterius ventriculi tunicae locum habere possint, nihilominus observatur, gastritidem phlegmonosam ortam a causis vehementioribus, etiam si peculiaris fomes phlogoseos modo in una, modo in altera tunica sedem figat, in una tantummodo superficie nequaquam propriam sedem figere.

Symptomata gastritidis.

Summa plerumque epigastrii distensio, quae ad hypocondrium diffunditur, vomitus cujuslibet substantiae liquidae, pituitosus, biliosus, febris plus minus vehemens, sitis ardens, pupillarum dilatatio, spasmus cynicus, aut risus sardonicus, singultus; inde delirium, convulsiones, sopor, coma somnolentum, lipothimiae, et pertinax alvi obstructio.

Distinctio gastritidis ab alia inflammationum specie.

Confundi nequaquam debet vehemens gastrialgia, vomitus biliosae materiae, et cholera cum gastritide ipsa; nam in hoc morbo constans ardor, viva febris observantur; nec clarissimi quoque Broussais sententia nos decipiat, qui gastro-enteritides, aut gastritides simplices multiplicando confundit specificas cum ventriculi, tum intestinorum irritationes, eorumque effectus cum phlogosi peculiari idiopathica. Superva-

Digitized by Google

887.

caneum esse puto, aliunde objectiones in Broussainianam theoriam proferre, cum hoc a recentioribus strenue factum fuerit.

Distinguitur insuper gastritis a cardialgia, nam in hac vehemens sitis intolerabilis, et fixus ardor, non secus ac febris, et difficultas potus, alimenta et pharmaca retinendi, deesse solent. Interdum tamen difficilis nobis occurrit gastritidis distinctio ab hepatitide, praesertim ubi lobus hepatis sinister adficiatur; quo in casu ipse lobus super ventriculum et usque ad lien dilatari potest, ut cadaverum sectione compertum est. Hujusmodi in casu deest saltem ab initio symptoma ardoris, validique caloris mordacis in ventriculo, qui potus atque alimenta sumendo increscit atque exasperatur: vomitus aliunde in hepatitide non adeo frequens et praeceps observatur; pulsus non adeo contracti et parvi sunt, nec virium dejectio summa nobis observanda occurrit. Puto fere supervacaneam esse distinctionem, quam nobis proferre non dubitarunt quoad gastritidem phlegmonosam, aut erisipelatosam clarissimi medici Petrus et Valentinus de Hildebrand; cum distinctio hujusmodi aut parum, aut nihil pro curationis methodo utilis nobis videri possit.

Causae.

Ictus, cuntusiones, vulnera, usus aquae frigidissimae post aestivum calorem, nimia corporis exercitatio, liquorum spirituosorum abusus et praesertim aquae vitae ita appellatae, alimenta nimis calida atque aromatica, quaedam venena vegetabilia atque animalia,

Digitized by Google

drastica, emetica nimis violenta, praesertim oxyda metallica, acida concentrata, alcali caustica, herniae, ossa deglutita, inflammatio quorundam viscerum quae ventriculo proxima sunt, videlicet omenti, intestinorum atque diaphragmatis, humor biliosus, arthritis, rheumaticae adfectiones graves, scabies, scorbutus, exanthemata cohibita, haemorrohidum et catameniorum retentio, nimia ventriculi repletio, vermes, vomitus pertinax, assiduus, scyrrhi, ulcera ventriculi. Ex hoc elucescit, causas esse chemicas, organicas, occasionales, et ideo gastritidem esse idiopaticam aut primariam, sympaticam aut consensualem.

Complicationes atque exitus.

Gastritis cum morbis gastricis complicari potest, atque ideo eodem tempore symptomatica est: potest insuper implicari cum hepatitide, splenitide, atque diaphragmitide non secus ac cum febribus exanthematicis. Ubi benigna gastritis sit, debellatur copiosis alvi excretionibus, sudoribus atque urina, quinta morbi die: ea immutari potest in ventriculi, atque intestinorum gangraenam, ubi praesertim tunica muscularis et serosa inflammatione laborent, aut ubi gastritis ab acri veneno sumpto originem ducat. Funesta in gangraenam mutatio palam fit ex vi inflammationis rapida, a resistentia methodi curae antiphlogisticae, a respiratione valde crebra spasmis interrupta, a perpetua anxietate, stertore, vocis mutatione, lypothimiis, vaniloquio, sopore, lingua aspera, facie Hyppocratica, extremorum frigore, lividis maculis in corporis superficie, et demum omnimodo

Digitized by Google

virium dejectione. Ventriculus in cadaverum sectione nobis observandus praebet maculas liventes nigrasque in cunctis tunicis, rubro colore tectas, interdum purulentas, et fere solutas. Gastritis potest ad suppurationis exitum transire, ubi vehemens dolor praeseferat febrem suppuratoriam, atque ubi adpareat puris ejectio vomitu, aut alvi fluxu. Saepe oriuntur apthae, ulcera, gastrodiniae chronicae, febris ethica, et denique marasmus. Interdum rumpitur interius abscessus ortum habens ascitis purulenta cum gravi periculo, aut cum ipsius puris collectione inter omenti laminas, hydrope cystico purulento inde consequente. Exempla nobis non desunt ventriculi suppurationis, quae praeter morbosas ventriculi cum peritonaeo adhaesiones, musculos abdominales laceraverunt, sordidam fistulam in ventriculo postea patefaciendo; alius gastritidis, praesertim cronicae, exitus locum praesertim habet in solemnibus helnonibus et strenuis vini potoribus, ubi scyrrhus aut carcinoma ventriculi locum habeat, qui morbi in pyloro magis quam in cardias oriri possunt, utpotequi quoad primum, glandulosus magis sit. Hic morbus difficilem diagnosim admittit, et quibuslibet medendi rationibus resistitit. Consueta tamen scyrrhi et carcinomatis symptomata esse solent ructus acidi atque foetentes, pertinax vomitus materiae chimosae, biliosae, saniosae atque graveolentis, flatus, dolores fixi acerbique in epigastrio, qui exasperantur vomitu, atque alimentis adsumptis, gutturis ardor, singultus interdum evidens, pylori durities tactu manifesta, febris ethica, alvi fluxus colliquativus, macies eo magis progrediens; cadaverum sectiones pylorum angu-

Digitized by Google

890.

stum, callosum, scyrrhosum, cartilagi nosum, fungosum, atque ulcere conflictatum ostenderunt.

Prognosis.

Generatim loquendo gastritis valde periculosa est; cursus modo brevis, modo lentus esse solet. Difficultas retinendi alimenta et pharmaca assiduis vomitus conatibus, obstaculum curationi ponit. Inter caeteras gastritides magis periculosas, ut luculenter experientia confirmatur, ea est, quae a corrodentibus venenis originem ducit, praesertim si ab initio pernecessaria antidota uegligantur.

Medela

Gastritis acuta citas et generosas phlaebotomias, et methodum curationis antiphlogisticam postulat juxta phlogosis indolem, pulsuum tamen debilium et fallacium debilitatis symptomatum nulla ratione habita. Plerumque mucilaginosa, oleosa atque exterius cataplasmata emollientia, fomenta tepentia, atque pedum balnea voto medico satisfaciunt: prosunt insuper stimulantia pedum balnea, et suris epigastrica adplicata, evitando pharmaca carminativa ita dicta non secus ac opii praeparata, pharmaca excitantia sthomatica, emetica et drastica. Prosunt quoque gummi arabici, amygdalarum dulcium, seminum papaveris emulsiones, serum lactis copiose sumptum, ubi de inflammatorio processu sermo sit. Si ab exanthematum retropulsione originem ducat, tunc stimuli cuti adplicandi sunt hinc epigastrica, synapis emplastra coxis et suris ad-

Digitized by Google

plicentur, et repetita tepentia aquae, aceti, et synapis fomenta, aut venae sectio, aut lenia diaphoretica administrentur. Ubi gastritis a quibusdam venenis vegetabilibus aut mineralibus originem ducat, medendi ratio in eo consistat, ut venenum aut decomponatur, aut neutrum atque insons quoad effectus, reddi possit. In venenis mercurii atque cupri albumen ovi, et mucilago gummi arabici in aqua praesto sint; in venenis calcis, aut salibus arsenici, stamni, zinci et bismuthi, aqua sulphurata, aut saccharina, aut lac antidota sunt; corticis peruviani decoctiones antimonii noxios venenatosque effectus infringunt. Solutiones sulphatis magnesiae et potassae in saturni veneno prosunt: murias sodae antidotum solutionis nitrosae argenti est; magnesia calcinata acidorum concentratorum antidotum habetur et est: acida antidotum alchalinis substantiis praebent: olea, decoctiones mucillaginosae, acida vegetablia utiliter praescribuntur in vegetabilibus venenis, et in eo cantharidum, in quo etiam camphora prodest. In veneno cujusdam boletorum speciei aqua frigidissima, et ammonium antidota sunt post emetici usum: in veneno connii maculati Linnaei atque opii acida vegetabilia, limonii usus, acetum tuta solent esse praesidia. Venenorum tamen ratione habita, quae peculiaria gastritidis acutae gravia symptomata parere solent, consideratione valde dignae animadversiones eae sunt, quae nobis protulerunt clarissimi Brugnatelli, Orfila, aliique, ubi cum noxii effectus, tum peculiaria antidota recensentur, analysi chemica valde accurata, atque constanti experientia suffulta. Ubi inflammatoria vis et ventriculi sensilitas in gastritide debellata fuerit, vires

Digitized by Google

erigendae sunt, et nutritionis languentis dispendia reparare opus est; hinc hordei et oryzae cremor, ova, juscula levia repetita administrentur: residua ventriculi sensilitas amaris atque narcoticis pharmacis curetur. Ubi gastritis ad suppurationem transeat, haec promoveatur, puris secretio facilior fiat: hinc emollientia voto satisfaciunt, ut in aliis suppurationibus inflammationi supervenientibus accidit. Ventriculi durities gastritidi superveniens saponaceis et salinis pharmacis et paregoricis curetur. Remedia nimis acria, stimulantia, drastica, validiora emetica cane pejus et angue vitentur, utpotequae dolores magis augere solent, non secus ac cancri conditionem morbosam in parte scirrhi laborante, ansam insuper facili negotio praebendo lethalis characteris colliquationi atque ideo lethalem morbi ipsius exitum celeriorem efficiendo.

Digitized by Google

893.

THESES

I.

Opium et incitante et deprimente actione pollere potest.

II.

Inter multiplices amaurosis causas status viarum gastro-entericarum abnormis frequentius observatur.

III.

Hydrostatica pulmonaris minime ex se probat, certe foetum vixisse post partum.

IV.

Febrium intermittentium typus non semper earum constituit naturam; hinc fallax illud effatum ubi inintermissio, ibi china.

99 845544

Digitized by Google